



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

[Claudio Lalano Sodali Svo I. B. Santolius V.]

Santeul, Jean de

[S.l.], 1670

Ad Santolivm Vict. Amici De praecedenti Elegia judicium. Epistola.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13421**



AD SANTOLIVM VICT.  
A M I C I

*De precedenti Elegia iudicium.*

E P I S T O L A.



*U*am illam Elegiam vidimus, OPTIME  
SANTOLI, qua linguam Gallicam La-  
tina prestare, & primas illi partes  
in templis, arcibus, palatiis, ceterisque publi-  
cis operibus inscribendis tribuendas asseris; ipsa  
meo quidem iudicio nec elegantia nec arte carere  
videtur. Illam videt quicumque legit, hanc non  
videre non licet, si paulo attente legatur; quan-  
to enim puriori latinitate Gallicam linguam com-  
mendas, tanto Latine praecellentiam probas, &  
quo altiori cothurno incedis, quo politiori, quo acu-  
tiori stylo in laudes Gallici sermonis excurris, tanto  
in gratiam Latini nec insciens forsitan vel impru-  
dens scribis. Desinant igitur quotquot Latine lo-  
quela amatores, quotquot tui emuli, quotquot cen-  
sores, tam elegans poema, tam ingeniosum Poë-  
tam vel jocis carpere, vel maledictis impetere: tu  
enim tam latine linguam Gallicam attollis, ut ex



hujusce emula laudibus, & ut ita dicam, flosculis,  
 Latina coronam neētere videaris. Quot namque ve-  
 neres, quot elegantia, quot lepōres in tota Elegia  
 sparsi animum lectoris oblectant, tot sunt flores,  
 totserta quibus Latinam ornas, quibus ejus pra-  
 stantiam sensim innuis, & tacite praedicas; nec so-  
 lum legentibus dignitatem exponis, sed etiam  
 si palmam illi palam non tribuis, tacito tamen  
 iudicio alteri praeripis quo emula coronetur; sic mi-  
 ro & inobservabili artificio omnino destruis, quid-  
 quid in contrarium ipso operis titulo astruere vi-  
 debaris. In hoc argumento ludere noster Apollo  
 voluit. Nonnullos versus huic Epistola addidimus,  
 quo Apolline editos, penes te sit iudicium: nec  
 lepidum adversarium tuum ledere animus fuit,  
 cum quo jocari & lascivire stylo impune semper  
 licuit. Vale.

